

**Vito A. Sirago**

**De Nerone et mari Baltico**

**Quibus Nero consiliis usus sit de Balticis litoribus exercendis**

Roma 1998

## De Nerone et mari Baltico

### Quibus Nero consiliis usus sit de Balticis litoribus exercendis

I. Omnes scriptores et antiquae et nostrae aetatis Neronem principem accusant tantorum facinorum auctorem ut quicquam boni atque honesti ei attribui non posse videatur: tale enim monstrum malorum numquam fuisse ad ullum bonum consilium cogitandum. Sed tamen, si testimonia antiquitatis sine praeiudiciis attente consideramus, in incerto frequenter sumus, cum multa eius consilia et prudenter et acriter esse perfecta videamus, summa admiratione stupefacti quod nihil simile ex tali principe exspectaremus.

Re autem vera Neronis nomen maledictis atque obbrobriis oppressum nemo est qui ignoret: de eius vita ac moribus sequentis aetatis auctores scripserunt, omnes ira ac studio conciti qui ad unum conflarunt, ad eius memoriam criminosis iniuriis opprimendam. Nam scripserunt vel principum successorum adulescentes vel partibus senatoriis faventes vel ducibus militaribus assentientes: si quis vero, ut Plinius senior, eiusdem aetatis de Nerone scripsit, principis inimicus declaratus exstitit qui animo hostili gesta principis aperte condemnavit. Sed reliqui scriptores qui principi favisse videbantur vel ministri eius scelerum iudicabantur, sepositi sunt eorumque opera in silentium vel oblivionem redacti sunt.

Deinde vero ad obtreptionem scriptorum recentiorum additum est odium Christianorum qui Neronem accusaverunt primae persecutionis: nam omnes scriptores tardae latinitatis et Aevi Medii Neronem iudicaverunt verum Antichristum, monstrum iniquitatis, principem omnium pessimum, daemonium viventem vel multis daemoniis repletum contra omnium coetum. Quapropter et scriptores nostrae aetatis Neronem opprimere omnibus criminum generibus sine dubiis pergunt nec parumper cogitare consueverunt Christianorum primam persecutionem omnino veram non fuisse, cum solum Christianos Urbis morte afficiendos Nero curaverit, non reliquos qui ubicumque imperii regionum frequentes versarentur.

His paucis dictis, de Nerone principe aliquid dicere animo incorrupto possumus.

II. Quae cum ita sint, mihi in animo est parumper insistere in Neronis consiliis de Baltico mari exercendo. Nam, ut apud Plinium legimus<sup>1</sup>, princeps ille Iuliano cuidam<sup>2</sup> curam dedit ut munus gladiatorium quam luculenter appareret. Iulianus autem equitem Romanum, cuius nomen ignoramus, ad litora Baltica misit, extra fines imperii, ut succinum quam plurimum colligeret et ad Urbem transportaret, ad amphitheatrum splendide ornandum. “*Qui* - ut Plinianis utar verbis - *et commercia ea et litora*

<sup>1</sup>PLIN. *n. h.* 37, 45-46.

<sup>2</sup>Fortasse dux gladiatorum, TAC. *H.* 3, 57, favens prius Vitellii partibus, dein Vespasiani, oppugnatum Terracinae occisusque a L. Vitellio, principis fratre, *ibid.* 76-77.

*peragravit, tanta copia invecta, ut retia coercendis feris podium protegentia succinis nodarentur, arma vero et Libitina totus unius diei apparatus in variatione pompae singulorum dierum esset e succino. Maximus pondus is attulit XIII librarum<sup>3</sup>*.

Hic locus aliqua dignus est meditatione. Nam manifeste claret equitem Romanum ad metam certam esse missum, non ad ignota spatia exploranda, sed certa commercia conficienda, ut succinum quam plurimum colligeret Romam transportandum. Is autem de imperii limitibus exiit, sed non regiones ignotas visit, tamen ad oras Balticas pervenit, ubi abundare succinum constabat, quo Iulianus curator uti statuerat ad gladiatorium munus splendidissime adornandum<sup>4</sup>. Sed si tantum officium equiti Romano commisit, non cuidam ignobili mercatori, scilicet succini mercatura paene insolita vel parum solita fuisse videtur. At Iulianus curator ex iussu principis nova quedam atque insolita animo exagitabat: utrique igitur, et curatori et principi in animo fuit extraordinarium munus praebere civibus et plebeculae Romanae et ad propositum conficiendum tantum consilium ceperunt mittendi equitis Romani, id est viri gravitatis virtutisque spectatae, usque ad Baltici litora pererranda.

III. Ceterum ad Balticum primi Romani pervenerunt circiter anno X a. Chr. n., Iullo Antonio M. F., Africano Q. Fabio Q. F. consulibus<sup>5</sup>. Nam ipse Augustus illa inscriptione testatur quae *Monumentum* dicitur *Ancyranum*:

*Classis mea per Oceanum ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad fines Cimbrorum (hodie Danimarca) navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanus ante id tempus adiit, Cimbrique et Charydes et Semnones et eiusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et poluli Romani petierunt.*

Augustus vero animo agitabat ut plerumque Germaniae ad ditionem Romanam redigeret usque ad flumen Albin, quo melius cursum Danuvii apud Vindobonam usque ad Oceanum superiorem rectis limitibus colligaret brevioresque imperii fines efficeret. At post solum duos annos Drusi mors acerba omnia proposita dissolvit. Retrahendos igitur milites ad fines Rheni per Tiberium privignum curavit, non ob difficultates rerum gestarum nec ob cladis Varianae moerorem, ut plerique opinantur, sed ob nullam viarum praesentiam nec ullam metallorum abundantiam.

Nam, ut scribit Tacitus<sup>6</sup>:

<sup>3</sup>A. GRILLI, *La documetazione sulla provenienza dell'ambra in Plinio*, "Acme" 36, 1983, 5-17

<sup>4</sup>J. KOLENDO, *A la recherche de l'ambre baltique. L'expédition d'un chevalier romain sous Neron*, Warszawa 1981.

<sup>5</sup>AUG., *Mon. Anc.* 5, 15, (ed. H. Volkmann, Berlin 1969, p. 46).

<sup>6</sup>TAC. *Germ.* 5, 1.2; 6, 1.2.

*terra in universum... aut silvis horrida aut paludibus foeda; ... satis ferax, frugiferarum arborum inpatiens, percorum fecunda, sed plerumque improcera.... Argentum et aurum propitiique an irati di negaverint dubito.... Ne ferrum quidem superest..., equi non forma, non velocitate conspicui.*

De his igitur rebus certior factus, Augustus, utpote nepos avi nobilis argentarii idemque multae pecuniae adpetens, dominationi Germaniae renuntiare praetulit quam sumptus inanes impendere: ad Rhenum flumen legiones contrahere maluit et Germaniae nationibus per earum regulos imperare statuit utpote qui continuos servos et fructus et, si occasio veniret, etiam milites conscribendos concederent.

Ergo excursus Drusi in mare Balticum irritum inaneque factum, nihil efficiens nisi memoriam rei gestae mirabilis, de qua ipse Augustus cum testamentum conscripsit haud dubie gloriatus est, digna quae aliqua laude celebraretur.

IV. At Iulius Caesar Germanicus, filius Drusi, patris sui non immemor fuit. Qui enim a. XVI post Chr. n., Sisenna Statilio L. Libone consulibus, a Tiberio principe missus in Germaniam ad Chattos tumultuantes domandos classem mille navium in Rheni portibus fabricandam curavit, ad Oceanum pervenit, per ostia fluminum in regiones interiores penetravit et brevi tempore hoste disiecit. Quae autem res gestae sunt in ea regione quae vergit ad Septemtrionalem Oceanum, usque ad flumen Albim<sup>7</sup>. Parum claret an Germanicus etiam Balticum mare cognoverit: sed utcumque res se haberet, accurate et diligenter certior factus est succini quod in illis litoribus abundabat, incolae colligebant et mercatores in alia loca venum dabant.

Quod enim *succinum* Romani appellabant, Graeci *electron* (nunc ambram ex nomine Arabico dicimus), “*ab Germanis appellabatur glaesum, itaque et ab nostris - ut verbis Plinii utar<sup>8</sup> - ob id unam insularum Glaesariam appellatam .... Austeraviam a barbaris dictam*”. Eodem loco Plinius naturam succini ita recte describit:

*nascitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, ut commis in cerasis, resina in pinis erumpit umoris abundantia. Densatur rigore vel tempore aut mari, cum ipsum intumescens aestus rapuit ex insulis, certe in litora expellitur, ita volubile, ut pendere videatur, atque non sidere in vado.*

Quae omnia vere explicantur, cum et docti homines nostrae aetatis eadem interpretentur: nam originem ex arboribus decernunt resinosis constitutam, temporum antiquissimorum aetate quae aera dicitur tertiaria: ceterum de arboribus agitur quae ea

<sup>7</sup>TAC. A. 2, 6 sqq.

<sup>8</sup>PLIN. n. h. 37, 42-43. cfr et n. h. 4, 97 et 103, necnon TAC. Germ. 45, 4

aetate funditus dirutae et Oceano sunt copertae. Eandem originem attribuerunt Romani, ut testantur verba Pliniana<sup>9</sup>:

*arboris sucum esse etiam prisca nostri credidere, ob id succinum appellantes. Pinei autem generis arboris esse indicio est pineus in adritu odor et quod accensum taedae modo ac nidore flagrat.*

Tacitus autem, quo melius distinguat originem, his verbis adiungit<sup>10</sup>:

*sucum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucra animalia plerumque interlucent, quae implicata umore mox durescente materia clauduntur.... In modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.*

V. Hanc materiam, ut abundantem e mari in litora eiectam, incolae regionum illarum primo nullius pretiis faciebant, sed ubi viderunt alienos mercatores quaerere et colligere, intellexerunt magni pretii esse: quapropter in colligenda succina postea incubuerunt. Quod idem Tacitus testatur<sup>11</sup>:

*sed et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi glaesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve: diu quin etiam inter cetera evectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu: rude legitur. Informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt.*

Quae verba indicare videntur quae Germanico duce gesta sunt, cum mare Balticum melius cognitum: nam postquam de Baltico succino eiusque primum lento gradu, postea vero - aetate Neronis, circiter triginta post annis - frequenti missione repetitum.

Ut vera dicamus, Romani mercatores omnes regiones peragrabant, nullum terrarum angulum negligebant: teste Horatio poeta<sup>12</sup>, *nil mortalibus ardui est: / caelum ipsum petimus stultitia...* "nequiquam deus abscidit / prudens oceano dissociabili / terras, si tamen impiae / non tangenda rates transiliunt vada.

Nec vero solum maria, sed et terras inhospitales adire sunt ausi. Etiam terras caeli tristes regionum Germaniae peragrabant ut commercia exercerent et grandia mira que lucra facerent. Namque clarum exemplum viguit anno XVII p. Chr. n., uno anno post victorias Germanici: in Germaniam dux venerat Drusus, filius ipsius Tiberii principis. Qui ut barbaros ad discordias impingeret Maroboduus regi insidias patravit. Maroboduus enim, Marcomannorum rex, aetate Augusti, ab regione Albina in Bohemiorum terram

<sup>9</sup>PLIN. n. h. 4, 97 et 103

<sup>10</sup>TAC. Germ. 45, 5.

<sup>11</sup>TAC. Germ. 45, 4.

<sup>12</sup>Hor. C. 1, 3, 37-38; 21-24.

nationem suam transtulit ibique magnum regnum sibi stabilivit. Cum vero insidias sibi a Druso paratas effugisset, primum fugae se dedit sine consilio, deinde *ob nimiam vivendi cupidinem*, teste Tacito<sup>13</sup>, misericordia Caesaris confisus, transgressus Danuvium, scripsit Tiberio a quo responsum tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus numquam excessit Italia per duodeviginti annos consenuitque multum imminuta claritate. At eius regnum Bohemiae occupatus est a Catualda, inter Gothones nobili iuvene, profugo olim vi Marobodui et tunc dubiis rebus eius ultionem auso. Illic *Romanis e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremo oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerat.*

Si tantus mercatorum numerus in Bohemiorum regno fuerunt sub Tiberio principe, facile est conceptu mercatores Romanos iam cognovisse et viam frequentasse quae ad Balticum mare duceret.

VI. Haec vero via succinea solet appellari. Hanc viam ab antiquissimis temporibus peragratam esse multa testantur reperta. Apud enim nostrae aetatis scriptores communis est opinio viam succineam notam et frequentatam a mercatoribus fuisse ante hominum memoriam: mercatores enim navigabant mare Superum, quo et Adriaticum dicebatur, usque Aquileiam, nobilem portum, viarum inclitum nodum, quarum altera ad septemtrionem vergens Carnuntum versus (hodie apud Petronell in Austria) ferebat, unde ad Albim flumen pergebat et inde mare Balticum<sup>14</sup>. Haec est illa succinea via mercatoribus nota per tam multa saecula iam peragrata.

Ergo Balticis ab oris succinum praesertim ferebatur eiusque materia maximi pretii in portibus et Adriaticis Italiae stationibus fuit, quarum incolae ornamentis succineis libenter utebantur. In territorio Quadrati, oppidi cuiusdam Apuli haud procul Bario, Rodolphus Striccoli, amicus et conlega noster carissimus, per plures annos fodiendos curavit tumulos in luco qui Magnus dicitur celatos, qui abhinc XXVII saecula constructa sunt: in singulis vero tumulis exuviae quattuor vel quinque hominum reperiuntur. Quas inter exuvias globuli succinei inveniuntur, scilicet feminarum ornamenta, qui nullam habent originem indigenam, sed proveniunt ex Balticis litoribus, adlati a mercatoribus qui naves onerarias impleverant et in portus Apuliae merces transtulerant. Tam antiqua fuit succini translatio atque commercia perfecta!

VII. At Graecorum cultus succinea ornamenta sprevisse videtur: itaque succini commercia vel imminuit vel omnino neglexit. Etiam in Apulia, quae Adriatico mari omnis adluitur, inter saecula V e II a Chr. n. globuli succinei plerumque dilabuntur, dum Graeca supellex quocumque diffunditur. Ergo, ut unum dicam, propter Graecorum

<sup>13</sup>TAC. A. 2, 63

<sup>14</sup>Secundum PLINIUM n. h. 37, 45: *DC M(ilia) p(assuum) fere a Carnunto Pannoniae abesse litus id Germaniae percognitum nuper: quod nostris mensuris, circiter 888 km, respondens iustum putamus.*

incolarum numerum in Italia praesentem, per ultima saecula a. Chr. n. in litoribus Italicis voluptas ornamentorum ex succino paene obsolescit et aliquo contemptu quasi adficitur.

Quod certe ad populos Italiae paeninsularis attinet: at contrarium est in Gallia Cisalpina quae post Caesarem mortuum ad Augusto principe usque ad Alpes Italiae est attributa. Etenim incolae Cisalpinae, quippe qui cum urbe Aquileia coniuncta essent, ornamenta succinea magnopere utebantur etiam Augusti temporibus<sup>15</sup>: consuetudo numquam neglecta esse videtur, sed ut antiquitus, sic aetate Caesariana intacta exstitisse. Hoc nobis testari videtur locus Plinianus de succini commerciis<sup>16</sup>:

*43 Adfertur a Germanis in Pannoniam maxime provinciam, et inde Veneti primum, quos Enetos Graeci vocaverunt, famam rei facere proximique Pannoniae et agentes circa mare Hadriaticum. 44 Pado vero adnexa fabula<sup>17</sup> est evidente causa, hodieque Transpadanorum agrestibus feminis monilia vice sucina gestantibus, maxime decoris gratia, sed et medicinae<sup>18</sup>: creditur quippe tonsillis resistere et faucium vitiis, varie genere aquarum iuxta Alpes infestante gutturae hominum.*

Ergo ob duas causas in Cisalpina succini usus diffundebatur, ornamentum et medicamentum: multam utilitatem credebatur adferre morbis gutturis, qui praesertim in Alpibus satis diffusus erat: torques globulorum succini magnopere defendere posse contra non solum tussim, sed etiam guttur (ital. gozzo, vel thyroidem tumidam).

VIII. At Nero, cum maximum spectaculum gladiatorium moliretur et equitem Romanum ad mare Balticum mitteret, diversum officium succini mercaturae attribuebat, quippe qui ex usibus femineis subtraheret et summae ludorum elegantiae destinaret. Nam Iuliano curatori edixerat ut luculenter spectacula pararet: eques Romanus ad mare Balticum missus est ad magnum succini pondus colligendum quo ornaretur amphiteatrum.

Itaque eques Romanus aliquantum temporis apud Balticum mansit; commercia ibi solita cognovit, magnam vim succini collectam ad Urbem transportavit.

Testatur autem Plinius<sup>19</sup>: "qui commercia ea et litora peragravit, tanta copia invecta, ut retia coercendis feris podium protegentia sucinis nodarentur, arma vero et Libitina (vel

<sup>15</sup>Hic oportet memorare Phaetontis fabulam, qui fulmine ictus in Eridanum vel Padum cecidisse creditur, eiusque sorores Heliades magno affectae dolore inconsolabiliter lacrimavisse, quapropter in arbores mutatae earumque lacrimae globuli succini factae (de hac fabula multis narrata verbis cfr Ov. *Metam.* 2, 1-400). Si Ovidius hanc fabulam magni pretii fecisse videtur temporibus Augusti ad explicandam succini originem largo iam favore utebatur, saltem in regionibus qua a Pado flumine adluntur.

<sup>16</sup>PLIN. *n. h.* 37, 43-44

<sup>17</sup>Id est, fabula Heliadum: sup. 15.

<sup>18</sup>Magni ponderis est aestimatio medendi: re vera Alpium incolae, ut procul a mari, elemento I(odio) carentes, facile gutture laborabant: usum autem succini medicamen gutturis aestimabant.

<sup>19</sup>PLIN. *n. h.* 37, 45.

lecti mortuorum) totusque unius diei apparatus in variatione pompae singulorum dierum esset e sucino”.

Ex quo efficitur ut innumeri currus sucino referti percurrerent immensum iter a Baltico Aquileiam versus et deinde Aquileia Romam, ut amphitheatrum ornarent. Partes vero illius succini diversae fuerunt magnitudinis: unam tamen magnopere admirati sunt. *Maximum pondus<sup>20</sup> is glabrae attulit XIII librarum*” (id est ultra IV Kilogrammata<sup>21</sup>). Actum autem est de splendidissima exhibitione, quae propositum principis non fefellit.

Nam ab aetate Neronis in summum venit pretium succinum apud Romanos eiusque commercia summo incremento usa sunt. Itaque Martialis atque Iuvenalis<sup>22</sup> testantur novam consuetudinem succini adhibendi in usibus cottidianis vel ad ornandum vel etiam ad oderem effundendum. Feminae enim spectati coetus vel divites vel divitum imitatores glabras succineas manibus tractare solebant: iam rosis, iam Arabum odoribus, iam unguentis e floribus extractis succini globulos addebant, ut manibus odoratis uterentur et gratum spectaculum suis civibus praeberent.

IX. Totus igitur hic excursus in mentis habitum Neronianum cadit. Nam iam ab initio regni is studia sua non celavit, favendi plebeculae, angustias sumptuarias superandi et imperium novis divitiis ornandi. Imperium enim iam sub Claudio principe labefactari videbatur: quapropter Claudius sibi munus dedit remedium praesens afferendi. At inter duo proposita semper fluctuavit, utrum fines imperii armis legionibusque propagaret - ex. gr. contra Britannos vel contra Germanos vel contra Parthos - an per commercia cum populis amicis communicaret. Qua ex re notitias alienigerarum nationum attente collegit, ex quibus non parvos fructus lucratus est.

Forte primis regni annis Suetonius Paulinus<sup>23</sup> ad sedandos Mauros missus in regionem interiorem irrupit et ad Atlantem montem pervenit, terram Romanis adhuc ignotam, ubi silvas arboresque non communes cognovit. Quibus de rebus cum Roma remeavit Suetonius relationem amplam scripsit et Romae edidit: quam ob rem Romani cognoverunt quae res se ageret trans desertum Africae et quid utilitatis lucrari possent.

Paulo post idem Suetonius in Britanniam missus est: si ut dux magna opera gerere non potuit, etiam de Britannia opus utilissimum confecit<sup>24</sup> quod futuris expeditionibus prodesset et notitias lucrorum mercatoribus offerret.

At mortuo Claudio Nero princeps successit a. LIV p. Chr. n., M. Asinio M. Acilio consulibus: qui inceptum Claudianum persequi stravit, sed solum per commercia

<sup>20</sup>PLIN. *n. h.* 37, 46.

<sup>21</sup>1 lib.= gr. 327,45; 4 libb. gr. 4.256,85.

<sup>22</sup>MART. 3, 65, 5; 5, 37, 11; 9, 12, 6; 11, 8, 6; IUVEN. 6, 569.

<sup>23</sup>PLIN. *n. h.* 5, 14: Suetonius Paulinus ... primus Romanorum ducum transgressus quoque Atlantem aliquot milium spatio prodidit...

<sup>24</sup>TAC. *Agr.* 14, 3.



pacifica, bella expeditionesque repudians. Qua de re clara est testatio Suetonii Tranquilli scriptoris<sup>25</sup>:

*augendi propagandique imperii neque voluntate ulla neque spe motus umquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit, nec nisi verecundia, ne obtreclare parentis gloriae videretur, destitit.*

E contrario omnes conatus est molitus ut motus nummorum incrementum haberet, cum ei persuasum esset quo magis ad alium aliunde transisset, eo magis crescere divitias.

Hoc enim loco possumus tranquille considerare Suetonii notitiam de eius quae dicitur amentia imprudentiamque<sup>26</sup>:

*Divitiarum et pecuniae fructum non alium putabat quam profusionem, “sordidos ac deparcos esse quibus impensarum ratio constaret, praelautos vereque magnificos qui abuterentur ac perderent.*

Nulla est igitur amentia, si recte volumus iudicare: nam nummos servare nec fructu gaudere est maior insania quam impensas facere.

X. Quibus imbutus sentiis, luxui incumbere statuit, et in re privata et in publicis officiis. Quod ad rem privatam attinet, Suetonius luculenter scribit<sup>27</sup>:

*Nullam vestem bis induit. Quadrigenis in punctum sestertia aleam lusit. Piscatus est rete aurato et purpura coccoque funibus nexis. Numquam mille carrucis fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, Canusinatis mulionibus, armillata falerataque Mazacum turba atque cursorum.*

Aliqua verba dicamus de Canusio et de Mazacibus.

Canusium clara urbs est regionis Apuliae, ubi innumeri ovium greges vescebantur in silvis lanaeque magnum pondus ferebant. Haec autem lana, colore fusca, in oppido texebatur, nec multi pretii aestimabatur, quippe quae rudis tristisque coloris<sup>28</sup>. Magnam tamen partem tetrinarum possedebat ipse princeps, ubi lanam operabantur plerumque servi Caesaris, sed etiam ingenui coetus.

Nero igitur statuit vestire suos muliones lanis Canusinis ut vestibis familiaribus: et cum solito more principem comitari solerent non minus quam duo milia mulionum - in quoque curru duo - , evenit ut per magnus illarum vestium numerus necessarius esset ad vestiendum aptus. Vestes lanatae fuscae Canusinae morem communem adeptae sunt,

<sup>25</sup>SUET. *Ner.* 18.

<sup>26</sup>SUET. *Ibid.* 30.

<sup>27</sup>SUET. *Ibid.* 30

<sup>28</sup>PLIN. *n. h.* 8,191; 37, 45.

admiratione dignae, eo ut saeculis sequentibus maximi pretii aestimatae sint et multa commercia aluerint non modo Romae, sed in ceteris imperii civitatibus<sup>29</sup>.

Idem oportet dicere de Mazacibus, incolis Mauretaniae provinciae, quae paucis annis ante perdomita erat, initiis regni Claudiani<sup>30</sup>. Oportebat uti benevolentia in incolas qui libertatem defenderant iugumque Romanum ferre soliti non erant. Nero igitur legendos fortissimos et ad suam custodiam adhibendos Mazacum<sup>31</sup> curavit, ostendens ceteris posse omnes eundem cursum sequi. Hoc quoque propositum beneficum imperio futurum, cum sequentibus saeculis magni dilectus in Mauretaniis futuri essent et in legionibus inscripti.

Ergo in alterutra re consilium Neronis prima specie insanum videri poterat, leve et delirum, si ad suam pompam unice spectaret, sed tale munus consecutus est ut mirabilem effectum in posterum adepturus esset.

XI. Idem de consiliis ad publicam utilitatem pertinentibus. Nam Tiridatem, ut notissimum est, Parthorum regem, invitatum in Italiam Puteolis ipse princeps magnis honoribus honoratum accepit, Romae dein Romae hospitem magnis sumptibus habuit. Quem in regem, *quod vix credibile videatur, octingena nummum milia diurna erogavit abeuntique super sestertium millies contulit*<sup>32</sup>. Haec pecunia vana atque insana videri potest, sed, si vera consideramus, eius gratia Nero in amicitia venit Parthorum eorumque impetus iuxta Euphratem vitavit: pecunia autem donata certum bellum distulit, quod multo maiore pretio constare oportebat.

Idem adseveramus de cinnamomo, quod Arabia ferebat et usque Romam mittere consueverat. Cuius pondus tamen fuit modestum usque ad a. LXV p. Chr. n., quo anno defuncta est illa Poppea, uxor Neronis. Igitur eius corpus in maximam cinnamomi vim immersum est et concrematum. “Periti rerum -ut Plinianis verbis utar<sup>33</sup>- *adseverant non ferre tantum annuo fetu quantum Nero princeps novissimo Poppeae suae die concremaverit*. Etenim factum est exemplum mortalibus:

*postea toto orbe singulis annis tot funera: exemplum principis multi civium imitati sunt et commercia maximis commerciis sunt elata.*

Ceterum iuxta eandem rationem cadunt instituta quaedam de itineribus expediendis. Hic autem est locus memorandi opus Corinthi inchoatum neque perfectum<sup>34</sup>:

<sup>29</sup>Cfr V. Sirago, Nerone e la Puglia, “Brundisii Res” 20, 1988, 23-44.

<sup>30</sup>PLIN. *n. h.* 5, 11: Romana arma Claudio principe in Mauretania bellavisse Ptolemaeum regem a Caio Cesare interemptum ulciscente liberto Aedemone...

<sup>31</sup>Mazices apud Ptolemaeum, qui distinguit Mazices Caesarienses a M. Tingitanis, 4, 1, 10. Mazices etiam in Amm. Marcell. 29, 5, 17.

<sup>32</sup>SUET. *Ner.* 30.

<sup>33</sup>PLIN. *n. h.* 12, 83.

<sup>34</sup>SUET. *Ner.* 19.

*in Achaia Isthmum perfodere adgressus praetorianos pro contione ad incohandum opus cohortatus est tubaque signo dato primus rastello humum effodit et corbulae congestam umeris extulit.*

Quod autem opus eo tempore propositum insanum iudicatum est, ad nostra aetate tandem perfectum est, cum bene intellectum sit quantum lucri ex breviori itineris tractu eveniret.

Hoc quoque addere possumus de illa quae dicta est domus aurea, monumentis digna pulcherrimis maximisque aedificata a Palatio Esquilias usque, de cuius spatio atque cultu haec scribit Suetonius Tranquillus<sup>35</sup>:

*Vestibulum eius fuit, in quo colossus CXX pedum (circiter XXXV m.) staret ipsius effigie; tanta laxitas, ut porticus triplices miliarias haberet (circiter M.CCCCXL m); item stagnum maris instar, circumsaeptum aedificiis ad urbium speciem: rura insuper arvis atque vinetis et pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris fontibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant; cenationes laquetae tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur; praecipua cenationum rotunda, quae perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur; balinae marinis et Albulis fluentes aquis.*

Tantus luxus, tantae artes, tanti labores immensae depensarum molis eguerunt, innumerorum virorum ac feminarum operum, pro quibus principem vim oportuit effudere divitiarum.

XII. Sic rebus se habentibus, manifestum est commercia fuisse dilatanda, non solum per portus maris interni, quod iam Romani nostrum appellabant, sed etiam extra imperii limites: ut regnante Claudio patefacta sunt itinera et in Britanniam et in Africam Atlantis montis tenus, sic regnante Nerone - immo vero ex ipsius principis voluntate - patefacta sunt itinera et ad mare Balticum at ad Aethiopum regionem, ultra Aegyptum, nunc Sudan appellatam. Ut vero ad Balticum eques Romanus missus est ad nova commercia instauranda, sic - eodem tempore - usque Meroem missus est globus militaris non bellandi causa, sed ad exacte cognoscendos populos et regiones atque mutationes mercium exercendas. "Certe - ut verbis Plinii utar<sup>36</sup> - principi Neroni missi ab eo milites milites praetoriani cum tribuno ad explorandum...". Inter reliqua milites Romani rettulerunt de amplissimi Africae territorii mensuris, quae nobis a Plinio indicatae sunt.

---

<sup>35</sup>SUET. Ibid. 31.

<sup>36</sup>PLIN. n. h. 6, 181.

Iuxta talem regendi rationem Nero princeps commercia dilatanda curavit et ad Austrum, in Africae solitudines, et ad Boream, in hiemalia frigora, ut prosperitatis statum imperii vacillantem fulciret fortioremque contitueret.

Ceterum instituta principis evidentia fuerunt, impensis augendis commercia multiplicaturum et nummorum cursum celeriores sperabat. Idem enim propositum nos videmus secuturum illum Franciae regem qui Solis nomine donabitur, Aloysium XIV, qui luxu ac splendore suae cohortis eo felicitatis regnum extulit ut ex luxuriae fructibus bella potuerit gerere continua per XL annos. At Nero in periculum cecidit propterea quod bella ac militiam in despectum habuit: credidit feram Romanorum indolem posse mutari et pacis morem per orbem propagari. Heu, heu, Romanae legiones earumque duces morem pacis accipere noluerunt, seditiones fecerunt et pacificum principem, insaniae crimine damnatum, ad sibi mortem consciscendam coegerunt.

At multa eius consilia valida tamen manserunt, utpote quae utilissimae imperio nationibus essent: inter quae succini usus, quod iam necessarium ad bene vivendum in Urbe videbatur. Iam mare Balticum notum mercatoribus et emptoribus fuit: commercia cum longinquis nationibus iam nexa erant, ad beneficium et vivendi elegantiam. Nam succini commercia vivo fervore continuata vel etiam aucta temporibus post Neronem exactis testatur descriptio Plinii senioris<sup>37</sup>, plures Martialis loci<sup>38</sup>, amplia descriptio Taciti<sup>39</sup>: ex quibus splendide claret viam succineam, antiquitus peragratam, ab aetate Neronis posse dici renovatam, tantaque incrementa habuisse ut succinum mari Baltici eiusdem pretii paene staret atque cetera feminarum ornamenta ubicumque terrarum genita.

---

<sup>37</sup> PLIN. *Ibid.* 4, 97, 103; 37, 41-46.

<sup>38</sup> MART. 3, 65, 5; 5, 37, 4; 9, 12, 6; 11, 8, 6.

<sup>39</sup> TAC. *Germ.* 45, 46.